

Pl. 61. his dicitur per Psalmum. Diuitia si affluant, nolite
 cor apponere. Non dixit, nolite habere, sed cor appo-
 nere. Non damnat diuitias, vnde cælum homo me-
 retur, sed vt cor non apponatur, scilicet illas recon-
 dendo, & non erogando. De hoc statu etiam Aposto-
 lus ad Timotheum scribit, dicens, Diuitibus huius
 seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in
 incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat no-
 bis omnia abundè ad fruendum: bene agere, diuites
 fieri in bonis operibus, facile tribuere, communica-
 re, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum,
 vt apprehendant vitam æternam. Secùs verò gra-
 dus est, quo quis omnium rerum temporalium abdi-
 cato priuatoque dominio sustentatur de non suo, sci-
 licet non sibi proprio, sed communi cum aliis à colle-
 gio possessio. Huius nanque paupertatis forma præ-
 cepsit in turba fidelium, de qua in actibus dicitur Apo-
 stolorum. Multitudinis autem credentium erat cor
 ynum, & anima vna: nec quisquam eorum quæ possi-
 debat, sua esse dicebat, sed erant illis omnia commu-
 nia. Quem scripture locum tractans Hieronymus ad
 Demetriadem ait. In actibus Apostolorum quando
 domini nostri Iesu Christi calebat cruor, & feruebat
 recens fides credentibus, vendebant omnes posses-
 siones suas, & præcia ad Apostolorum ponebant pe-
 des: vt ostenderent pecunias esse calcandas: & dabat
 tur singulis, prout opus erat. Hæc etenim vitæ qui imi-
 tantur, cœnobita vocantur: quæ vitæ tanto felicior
 est, quanto magis statum futuri seculi imitatur: vbi
 sunt omnia communia. De hoc statu dicit Augusti-
 nus de communi vitæ & regula clericorum, in hæc
 verba: Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis
 omnia communia: & distribuatur vnicuique vestrū
 à proposito vestro victus & tegumentum: non æquali-
 ter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes: sed
 potius, sicut cuique opus fuerit: sicut legitur in acti-
 bus Apostolorum. Quia erat eis omnia communia,
 & distribuabatur vniuersis, sicut opus fuerat. Qui
 aliquid habebant in seculo: quando ingressi sunt in
 monasterium, libenter velint illud esse commune:
 qui autem non habebant, non ea querant in mona-
 stero, quæ nequaquam foris habere poterunt: sed
 tamen eorum infirmitati quod opus est, distribuatur
 etiam si paupertas eorum, quæ foris erant, nec
 ipsa necessaria poterant inuenire. Tamē non putent
 ideo se felices esse, quia inuenerunt victum & tegu-
 mentum, quale foris inuenire non poterunt: nec
 erigant ceruicem, quia associantur eis, ad quos foris
 accedere non audebant: sed sursum cor habeant, &
 terrena non querant, ne incipiant monasteria vtilia
 esse diuitibus non pauperibus: si diuites illic humi-
 liantur, & pauperes illic inflantur. Et rursus ille qui
 videbatur aliquid esse in seculo, non habeat fastidio
 fratres suos: qui ad illam sanctam societatem ex pau-
 pertate venerunt. Magis autem studeant non de pa-
 rentum dignitate, sed de pauperum fratrum societa-
 te gloriari. Nec extollantur, si conuentui de suis fa-
 cultatibus contulerint aliquid: nec de suis diuitiis
 magis superbiat, quia eas in monasterio impertiuntur,
 quam si eis in seculo fruenterent. Et quid prodest
 dispergendo dare pauperibus, & pauperem fieri: cum
 anima misera superbiior efficiatur diuitias contem-
 nendo, quam fuerat possidendo? Tertius autem gra-
 dus paupertatis: in quo ipsius virtutis perfectio con-

silit, est quo quis abdicato omnium rerum tempo-
 ralium dominio tam proprio, quam communi, sus-
 tentatur de non suo, id est, non sibi proprio, nec suo
 collegio in communi, sed alieno, pie tamen ab alio
 sibi pro sustentatione collato. Hanc specialis pau-
 pertatis formam tanquam perfectam Christus in se-
 metipso seruauit, & Apostolis seruandam instituit:
 ac etiam is, qui ad perfectionem venire desiderant,
 consulendo suauit. Ostendit hanc dominus nascen-
 do, viuendo, & moriendo. In stabulo nanque domi-
 nus Iesus nascitur, & à Maria vili fasciæ cingitur, &
 in præsepio inclinatur. Non erat ibi cedrina domus,
 nec lectus eburneus, in quo pareret omnium creato-
 rem, & hominum poneret redemptorem, sed velut
 exul & peregrina in aliena domo mundi peperit do-
 minum, & tanquam femina pauper non feticis, sed
 pannis vilibus inuoluit, & in præsepio collocauit,
 quem vt peperit, statim vt Deum adorauit. Ostabu-
 lum felix, & præsepe beatum, in quo nascitur Chri-
 stus, & reclinat omnium Deus. Ibi fuerunt obste-
 trices angelicæ potestates, & solatium angelorū, ibi
 erat milia milium exultantium: ibi vagiebat Christus
 in stabulo, & fiebat latitia magna in cælo: plorabat
 in præsepio Christus: & tamē de illo exultauit mul-
 tudo cælestis exercitus resonans, gloria Deo in altis-
 simis, & in terra pax hominibus bona voluntatis:
 quia bonitas cœlesti nata est in terris. Descenderat pax
 vera de cælo, & inde angeli exultantes decantant glo-
 ria in altissimis Deo. Non solum nascendo, sed & vi-
 uendo, & moriendo ipsam cōmendauit paupertatē.
 De qua Bernardus. Vt re domine Iesu per omnia no-
 stræ paupertati conformares, & omnes vitæ nostræ
 calamitates susceperes, quasi vnus de turba pauperū
 stipendia & elemosinam seriatim per ostia mendicabas.
 Quis dabit bucellarum illarum manducatarum
 participem fieri, & illius diuini eludij adipe
 saginari? Nam & tantæ paupertatis fuit, vt in vrbe
 maxima in die palmarum nullū hospitium, nullam
 mansionem inuenire, sed in agro parvulo apud Laza-
 rum & sorores habitaret. Noluit dominus habere,
 quod perderet: ne haberet diabolus, quod auferret.
 Volensque in summa paupertatis nuditate vitam cō-
 eludere, nudus elegit in cruce pendere, & nudus mo-
 ri, atque in alieno sepeliri sepulcro. Hanc quoque
 paupertatis perfectionem Apostolis ipse dominus
 mandauit, dicens: Nolite possidere aurum neque
 argentum. Et alibi. Nihil tuleritis in via, neque
 virgam, neque panem, neque peram, neque pecuniā.
 Vnde Apostolus Petrus primus executor dominicæ
 sententiæ ostendens se non in vanum Saluatoris au-
 disse mādāta, cum posceretur à paupere, vt ei aliquid
 pecuniæ largiretur, ait: Argentum & aurum non est
 mihi. Tamē nō tam in hoc gloriatur Petrus, quod au-
 rum & argentum non habet, quam quod seruat do-
 mini mandatum dicentis: Nolite possidere aurum.
 Ipsam etiam omnibus se sequi volentibus suauit, & præ-
 cipue quiescentibus, & solitariis Deo vacantibus:
 quod patet in sanctis patribus in Aegypto olim com-
 moratis: de quibus sic dicit Chrysothomus. Nunc ve-
 niens in eremum Aegypti hanc reperi paradiso me-
 liorem effectam. Etenim est videre vbi que in regio-
 ne illa Christi exercitum, & spiritualis regni ipsius
 dignitatem, ac superiorum ciuium vrbānitatem.
 Extrinsecis rebus exuti, & mundo omnino crucifixi
 sunt

Luc. 10.

Mat. 10.

Acto. 10.